1ª Incipit prologus.

Expedito ~~et~~ ac reformato prout largiente dño potuimus divinorum officiorum breuiario addente nos grandis cura ingensquoque ~~et~~ animi solicitudo perurget. Quatenus enim observancias regulares ac consuetudines laudabiles cerimonias que monachales a sanctis patribus nobis traditas in nostro monasterio prochdolor per negligenciam collapsas in debitum statum reformare, recuperare et emendare debeamus. Considerantesque quod dominus precepit in libro deuteronomii. Non transferendos terminos quos patres nostri statuerunt. Formidandum proinde nobis est et magnopere providendum. qui terminos regulariter vivendi a patribus nostris nobis traditos ex magna parte transtulisse credimur. ne huius precepti prevaricatores et transgressores a domino iudicemur. Siquis autem nostre religionis terminos translatos vel forte in aliquo transgressos aut destructos dubitat. is regulam sancti patris et magistri nostri benedicti legat. et diligenti examinatione consideret. et tunc infallibiliter scire et agnoscere poterit quantum nostra conversatio que nunc est a prisca patrum nostrorum sancta conversatione